

Antonius Thylesius Consentinus

‘Imber aureus’

Tragoedia
(1529)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Februar 2006

Argumentum

Rogat Acrisius Argiuorum Rex Nuncium, cum a Delphico oraculo, quo illum is miserat, iam rediisset, quid sibi ex Apollinis sententia agendum sit de Danae filia iam nubili, cuius ducendae in uxorem gratia flos Graeciae Argos conuenerat. qui simulatque accipit, se ab eo, quem illa pareret, interfectum iri, a nuptiis abstinet, puellamque in turri ferrea eius rei causa a Vulcano et Cyclopibus tunc facta includit. at Juppiter, forma uirginis captus, in pluuiam auream mutatus, illam uitiat. quod cum rex comperisset, filiam in arca lignea clausam in mare abiicit.

Personae

Acrisius
Nuncius
Chorus ex Argiuis mulieribus
Danae
Nutrix
Pyragmon
Steropes
Brontes
Polyphemus
Cyclopum turba
Nuncius alter

Actus primus

*Percontatur Acrisius Nuncius, cum is ex Apollinis Delphici fano rediisset.
auditoque Rex oraculo ualde queritur.*

Acrisius, Nuncius

Acr.	Tandem reuersus ades. age, hic renuncia, Tacitus alibi fidusque, quod scis, nesciens, Nuptum dari cui Pythius natam iubet, Solus supremi conscius semper Iouis? Adest frequens parata ferro cernere Iam iam iuuentus nuptias Achaica. Cordi nec est prae caeteris quisquam mihi. Par est in omnibus uigor, seu cursibus Certant leues superare Lyncas per nemus, Aeriugas seu spiculis sternunt aues Ipsisque nubibus petunt praedam aucupes, Puluere libet uel equos agere celeripedes. Nec regium nulli uetus claret genus. Aetas quoque eadem uix genas uestit noua. Vnum uelut uellere uelit uirentibus Siquis Rosariis puer florem, ambigit Potissimum sibi legat quem ex omnibus, Ita unus ad se quisque flos dextram rapit, Sic me procorum turba diuersum trahit, Generum mihi nunc maxime quem seligam. Sequar te, Apollo, non minus mortalium Obscura clara uoce qui reddis tua, Quam noctis umbras pellis adducens diem Coecamque radiis dissipas caliginem.	5
Nun.	Vbi Delphicam, Rex, attigi Pytho, ultimus Tot millium consulta flagitantium, Primus redirem ut certior factus domum, Pythona profero aureum. stupor omnium Inuasit animos illico. ad coelum manus Tollunt. Deo tandem uideri munera Digna, diademate teque dignum praedicant. Exhilarat aliquos nam sacerdotum quoque Auri nitor, mentem serenans nubilam. His atque succollantibus, gazae decus, Serpens reconditur intimis penetralibus.	10
		15
		20
		25
		30
		35

	Vixque immolatis uictimis balantibus, Iam Phoebas horrida fuit, haec ore intonans: ‘Quo te puer agis alipes coelum petens? Laeuaque gestas quid caput amictum anguibus? At at, lapis fit, unde natum hominum est genus. Auum sed, heu, cur impie extinguis nepos?’	40
	Sic fata, mentis expuit uecordiam. Deferbuit ac omnis animi rabies feri. Quare tibi, Rex, consule, monitus semel. Osor sui quem amat? uel esse cui potest Carus, sibi uilis, uolens qui ulti occidit?	45
Acr.	O uana spes! ubi senectae iam grauis Quies uidebatur, necis terret metus. O quis reseruas me malis, inimica Sors? Vt filia parenti pariat ingens nefas,	50
	Atque impia nepos auum caedat manu, Vetus ut onere bos iugi fessus diu Verbere cadit agricolae im<m>emoris ictus graui Animamque non meritam emeritus edit gemens.	
Nun.	Vbi est malum uitare, quis debet queri? Gaudere potius, fugere quia potis est malum.	55
Acr.	Auxi opibus iccirco et triumphis regiam, Vt esset, ante destinatum qui diem Scepbris potitus praemio laetum daret?	
Nun.	Id equidem opinor esse lamentabile, Es de quibus bene meritus, male cum merent.	60
Acr.	Iam iam tui me, nata, miseret. quae, uelut Formosa circum uitis ulmos consitas Procul tuetur nec habet, ut se subleuet, Iacens sed incomplexa humi sterilis senet,	65
	Eris uiri indiga, appetita plurimis Frustra. nec haeres imperii tanti puer Auita ludet ante blandus lumina. Sed hoc satius est, quam madere fletibus	
	Cari parentis funere tristem tui, Cinere horridas quam uellere sparsas comas Niueumque pectus tundere plangoribus.	70
	Scopulosa qui uidet freta nec abremigat Flectens procul iter, naufragus merito interit. Miserum fleas, qui nescius pessum it uiae.	
	Monitum fuisse Diis, satis erit iam mihi, Vitare, quod capit malum impendet meo.	75

Grauiter affectus cum abiisset Acrisius, secum loquitur Nuncius.

Nuncius solus

- Nun. Discessit, agitatum ut mare animo fluctuans.
 Missos faciet omnes, opinor, nunc procos.
 Iam adsunt. ut illos uix locutos deserit! 80
 Prae caeteris et quem colit superis, pede
 Adit ipse propero segnipedis adytum Dei.
 Iam cogitans aliquid statim excudet uafer.
 Indormiet causae nec is tantae oscitans.
 Aliis cauere suetus haud se negliget. 85
 Quin, rem ut domi forisque gessit nauiter,
 Toto huc, ut aiunt, pectore incumbet breuique
 Amolietur, quae premunt onera animum.
 Quiescere in utranque aurem, id optimum arbitror.
 Nihil anxiis prosunt opes, regnum nihil. 90
 Quo tanta res se uerterit, nouit Deus.
 Sospite utinam Acrisio inclyto ac Danae, unica
 Spe regiae Arguiisque ac urbis moenibus,
 Valida Cyclopum conditis olim manu!
 Qui nunc ratibus adsunt procul uesti cauis, 95
 Celebrent ut indicta sacra Vulcanalia.
 Iamque est prope dies festus Argis, quo simul,
 Sibi quisque coniugium puellae consequi
 Ratus, in opibus omnes futuri erant proci.
 Nunc ira mutat ora: pudor hinc aestuat 100
 Repudii, Amor coquit hinc ferus praecordia.

Repudiati ab Acrisio Proci cum minabundi Argis discederent, Chorus mulierum pauidus Iunonem orat, urbem ipsi Deae consecratam ab hostibus defendat.

Chorus

- Ch. O germana mariti
 Fratris grataque coniunx,
 Cuius numine coelum
 Terraueque tremit orbis, 105
 Ipsi quem metuunt Dii,
 Sedes desere olympi,
 Curru uesta per auras,

Non quo uersicolores Vinctae colla uolucres Te per nubila uestant, Vis siquando choreas Inter laeta uideri, Cum te sanguine multo Multo et thure sacerdos Lucos subter opacos Coelo deuocat alto. Nunc sed iunge frementes Bello saeuia quadrigas Tecta et casside crines Hastam concute, semper Hostis caede fluentem. Nanque ex urbe iuuentus Cedens saeuia minatur, Coniurata uetustos Ferro diruere Argos.	110
Pauor, heu, quantus pectora turbat. Horrent, uideo, rura sagittis, Densus ut albet campus aristis. Quassat galeas parsque comantes Equitum turmae celeresque ruunt.	120
Vnum qui pote senium tot manus Iuuenum patriis pellere regnis Incendia caedesque minantum? Agedum, prohibe, disiice, dissipa, Notus ut Libycas tollit arenas, Miscens nebulam pulueris atri, Tua qui moenia diripere uolunt, Maxima Iuno.	130
Vnius omnes uirginis ergo Eandem miserae aut mortem oppetimus Aut captiuae trahimur rapidum Per mare cunctos famulatum annos. Nil commeruit tamen infelix, Trahere una aeuum infoecundum omne Patris imperio iussa tyranni.	135
Decus, heu, frontis lumina nitidae, Heu, coma color et, nix uelut aut prior, Comitata choris cum uenit, ipso Ioue digna, tuus ni uir is esset. Forsitan illis pascere ocellis Mauult, quam alios, se pater ipse Sibi nec patitur uellier aula.	140
Improba nam quo non penetrat Venus?	145

Arabum Regis nata Cupidine Capta nefando, palluit amens. Tenebris coecae fretaque noctis Latus obtulit, heu, dira parenti. Caluit tanto iecur igne ferum.	155
Sed quo celeri pede turba ruit? Quid stupet omnis? tenuitque gradus? Libet ire simul. lachrymae ore cadunt Pariter cunctis, miseramque uocant. Timeo quid sit, temere neque enim id.	160
Ibimus, et si nimis arcta uia est. Sine, ego anterius paululo eam, rogo. Iam iam perimor. miseram quo tu? Quo me trudis? carbasa desere. Venis exultans sonipes quantus!	165
Age te huc propere. age te huc, cedo manum. Bene sed, bene. iam euasimus. agite. Via se amplior in campum laxat, Huc, ubi regia tollitur ingens. Quo ruit omnis turba properiter.	170
Accedam prope cernere, quid id est.	175
Sed pro Iuppiter, unde repente Nata est ingens altaque moles, Super aerias ferrea nubes? Obdunt uestes limen aheneum Septum immani cardine circum.	180
Cara uix Phoebi lumina tenuis Recipit densis fixa clatris Rara fenestra. quis auctor et opifex Operis tanti fuit operosi?	
Tacite applicuit bibulas omnis Populus querulis uocibus aures. Audire libet, carcere questus Quis tam uasto iactat inanes Et lamenta promit in auras Gemitus tristes geminans miseriter.	185
	190

Actus secundus

Deplorat calamitates suas Danae, cum a parente in Turri Ferrea esset inclusa. eamque Nutrix consolatur.

Danae, Chorus, Nutrix

- Dan. Quando meis Sors inuidet mortalium
Aures querelis, alloquar uos Coelites.
Qui tempa quanuis celsa colitis olympia,
Auditis attamen pias propere preces.
Latet abditum ac nullum penitus usquam nefas, 195
Quin mille desuper oculis, quot sidera
Noctis per atras frigidae tenebras micant,
Spectetis usque, sceleris ultro uindice.
- Ch. Sile, sile, ipsius uideor audire iam
Danaes misellae uoculam lachrymabilem. 200
- Dan. Sed, heu, quid infelix ego primum querar?
Primum aut fleam? pater, o pater, me siccine
Nuptum dari? hos thalamos parari? has nuptias
Mihi celebrari? quod facinus ausa impium?
- Nut. Corrumpit ora lachrymis nitentia. 205
Regina felix nimis obiit, haec non uidens.
Relicta in atrum hunc diem anus ego, uitam traho.
- Dan. Scelesti nunquid hostibus patriam feris
Patrisque prodidi sacrum Regis caput?
Quondam uelut nefanda Nisi filia, 210
Amore saeuo et impotenti perdita,
Furtiuia dempsit auream fato comam.
Volitat pauida nunc unde sub nubes fuga
Lugubre resonans, sceleris, heu, nunquam immemor.
- Tamen illa felix, ora quanuis mollia
Durata rostro prominent deformia
Paruumque plumea caput galea tegit.
Agricola siquidem, qua libet, uolucris uolat,
Camposque peragrans multiuaga uidet auios, 215
Vbi nemus, ubi fontes, ubi Tempe uirent,
Vbi flumina scatebris sonant caua frigidis,
Vbi mille quondam septa uirginibus fui,
Tibi cum sacra ferebam, Proserpina, floream
Metens apricis saltibus messem, Dea.
- Quae nunc memor quin gratiam referens, iubes 220
225

	Me regia natam domo, Styga transuehi Seruitum in omne seruitutem aeuum tibi?	
Ch.	Audin? cupit mori. excutit lachrymas mihi.	
Dan.	Iamque mora nulla est, quin trabe sub hac aenea Linquens cadauer pendulum, sic horridam Soluta mortis munere effugiam domum Nouumque carcerem. ipsa mihi niueum prius Vitale stamen, nunc nigrescens abstraham; Et quam uiri non abstulit lateri manus, Ceruice zonam pro lacertis ambiam.	230
Nut.	Mors o mihi sera, his meas quin obseras Aures querelis? lumina his quin fletibus?	235
Dan.	Vale diu, memor uale, miserae dolet Sicui negatus forsitan Danaes torus Vltusque caede lugubres tumulo notas. Valete coetus uosque uirginei simul, Et quando tedas Dii uetant Hymeneias, Quatite rogo manibus faces mihi funebres. Hac gaudeat pompa genitor, ac praeficae Plangentis obstrepat querulus aures sonus.	240
Nut.	Rapuit, uide, zonam furens. mea tu quid hoc Alumna? quo te tantus impellit dolor? Vltro ut, nefas, mortem uelis tetram mori?	245
Dan.	Sine, per ego Superos rogo, Nutrix, sine.	
Nut.	Tuumne uiuens ut ego funus consiper?	250
Dan.	Taedet tueri, quod relictum est, aetheris.	
Nut.	Vulnere oculos, heu, tam graui feries meos?	
Dan.	Mortis ego particeps cupio iam omnis mori.	
Nut.	Spargesque semper fletibus aniles genas?	
Dan.	Animae atque reliquum corpore aegro expellere.	255
Nut.	Tibi superstes egon? obis tu me prius, Annis cadens puellula florentibus? In hunc reseruant fata miseram me diem?	
	Munusque id ego ut habeam mihi extremum iubes?	
Dan.	Quibus est acerbum uiuere, iis dulce est mori.	260
Nut.	Vna semel aufert Mors bona omnibus omnia, Vt flumen impetu sata auulsa abripit.	
Dan.	Eademque sentes uellit animis asperas. Vt ignis imbre, morte sic dolor interit.	
	Quod si tuae miseret, iuuas quin me? aut sinis Vltro ire? ubi antelaboribus positis ferunt	265
	Manes quiescere sedibus tandem piis, Obliuiosi prope uada sacra fluminis, Viride nemus quae Myrteis sepit comis,	
	Frondoso opacans tegmine herbarum toros.	
	Nigrescit atris nunquam ibi aer nubibus,	270

	Altera nec nox eripit tenebris diem. Heroidum tenet loca illa frequens chorus, Lucos pererrans garrulos auium sono, Ioque Ledaque Semeleque Europaque, Honore quoque dignae Iouis amatorio Electra flaua Maiaque soror candida. Cupit animus quas uisere. est ubi regio His consecrata, poeniteret quam loci?	275
Nut.	Rumpere uetat aliquem sibi uitam Deus. Nec parricidium graue est aequa, ac suae Siquis animae non sustinens onus abiicit. Manet hunc, alumna, Tartari domus impia, Deiecta terras subter imas, ardui Vix quantum in auras aetheris polus eminet. Quo despicit nunquam ipse, quin paueat procul, Cunctis tremendus caeteroquin Iuppiter, Nox atra tantis terret umbris, oraque Hiant figuris tam feris immania.	280
	Poenas quis omnes omnium fando explicet? Hic sumit ora tigridis, hic ululat lupus. Pars mersa lamis grunnit usque palustribus. Pars tortuosos callida sibi fodit specus, Caudata fugitans tricipitis rabiem ferae.	285
Ch.	Crudeliter qui uixerint quique improbe, Qui nequiter quique scelere instructi ac dolo, Has, luce ubi aetherea carent, poenas luunt.	295
Nut.	Nec unus angitur siti mersus lacu, Cadauerosus uultur aut unum comedest, Euiscerat sed plurimis resecans iecur. Gemunt anheli sub onere plures graui. Celeresque, turbinis modo, uinctum puer Quem torquet, amento explicans, uersant rotae.	300
	Nullum sed agit aequa furor ac illum, manus Sibi qui intulit. noctiquerula uelut aus gemens Carmen sepulchretis canit lugubriter, Sthenoboea replet questubus Ditis domum, Iuuuenem ausa mulier credulo nimium uiro Deferre criminibus, malum, insontem nouis. Quam mox amor rediens et insanus dolor Claudere diem nodo merentem perpulit.	305
	Nostris furor is arripiat animos hostibus. In melius haec, alumna, iam uertet Deus Sinet diu nec immerentes deprimi. An non Lycaonis misera gemuit feris Hirsuta uillis, tesqua peragrans aspera? Quae nunc supremo semper elucet polo	310
		315

	Dubiosque ducit nauitas mare per uagum. Inachis et olim cernua gerens cornua, Nili fluenta Dea prope colitur huberis.	320
	Iamque, nisi fallor, augur en noua nuncio. Teli, uides, ministra ineuitabilis, Magni Iouis satelles, ut fulua ambiat Conflata ferro tecta sublimis uolans?	
	Haud temere adest. age, mecum, alumna, agedum, Iouis Numen, agedum, precare prece, mihi quam pius Vates reliquit natus ad uada Crathidis, Pineta tollit ubi sub auras aetheris	325
	Passimque fontibus scatens Syla obstrepit Ac mille gelidum fistulis recinit nemus.	
	Haec praestat Oenotriae una syluis omnibus.	330
Dan.	Video sacram, Nutrix, auem, uideo, Iouis. Et speculae iniecit aliquid dudum mihi. Sed age, nouas aevo preces audire, age.	
Nut.	Pater o superum coelique potens semper nitidi, Radiis etenim micat interdiu Apollinis ignei, Rutilatque per atram sideribus noctem tremulis. Nequeunt uenti quas extinguere pluiaeque faces. Canere ecquis mortali te uoce potest Iuppiter?	335
	Immota moues qui terrarum pondera quatiens Vada mobilis et pelagi cogis ueluti glaciem: Hominum tibi sit, rogo, gens curae. uiden, ut misere Vaga mille uiis errabundaque semper fluitet, Corporis agitata laboribus et curis animi?	
Dan.	Cedo sacram mihi tabellam.	
Nut.	age, iam cape, Decollo quam primum tibi nunc pendulam Ceruice. nunquam ex quo data est, posui, meo Sed pectori haesit semper haec mihi diu.	340
Dan.	Ediscam.	
Nut.	humi sumissa ter cane, ter manus Extolle.	
Dan.	teneo.	
Nut.	crede sed, nil non Iouem Posse. minor hanc Deus faber si condidit Repente malleis domum, maior potest Eandem citius aut soluere igni tabidam Rapidis dare uel Euris perustam fulmine, Te sospite, olim disperiit ut mons triplex	350
	Congestus, unde stulta gens Titania Centipes adorta Coelites bello fuit.	
Dan.	Ibo seorsum supplicatum nunc Ioui. Sine teste nam magis rogantem audit Deus.	355

Queritur Chorus sibi frustra auspicatam uestem et serta praeparasse, ut exquisito insignis ornatu Danaes nuptias celebraret. eamque absentem alloquitur.

Chorus

Ch.	Modo Phrygios amictus, Modo sutiles corollas Serens mihi parabam. Quibus implicata capillos Myrrha madentes pingui Tibi choros agitarem Insignis, Acrisione, Ne fronte uagus et errans, Dum uerso saltans orbem, Solutus impediret Me tortilis cincinnus.	360
	Micantibusque loton Digitis puer sonoram Tibicen inflans aderat Meditatus Hymenaeum.	365
	Nunc immerentem moerens Abiecit, olim ut Pallas, Liquentibus cum uidit Speculis tumentes malas.	370
	Querar et ego, querar te Raptam mihi, tam saeuo Te carcere coerceri. At ore semper udo, Sipylus abundat usque Flebilibus ut mons undis.	375
	At uoce semper tristi, Quali sonans Aedon Flet coniugem aut inuolucres Foetus, inani extractos Nido, leuique clausos Vimine tuens tabescit	380
	Circumque uolitat frustra. Ramo sedens mox ualles Cauas replet querelis. Sperare quod tamen audes,	385
	Non irritum faxint Dii.	390
		395

Actus tertius

Miratur Acrisius Turrim aeneam a Vulcano uix rogato tam repente fuisse excitatam.

Acrisius, Chorus

- Acr. Quid cogitare quispiam potest mortalium
Ita arduum, expediant, uelint modo, quin superi illico?
Et si hoc mihi infixum haesit in animo semper meo,
Rem nunc stupidus ac uix mihi credens tango manu.
Factumne posteri putabunt, an fictum hoc magis? 400
Aetasque ueniens iam nouam autumabit fabulam,
Quae mira praestat omnibus dubio reliquis procul.
Arcem rogaui, filiae ubi latebrae essent meae,
Vt tuta ab insidiis procorum et uiribus foret,
Vulcanum opificem ipsum, omnium unum sollertissimum. 405
Ex quo etenim is Argiuia chalybe ex contuso moenia
Immania posuit, puer merito Iunonius
In urbe matris aede colitur aureus sacra.
Vbi uictimas furuas quotannis fractis cruribus
Ritu immolant solenni ad ignes succincti popae. 410
Quo transmigrat frequenter Aetnaeis e rupibus
Celerique pede uenit ocios uolucribus loripes.
Vbique enim pie uocatus subito adest Deus.
Vixque precibus rogatus ingentem sonitum excitat.
Strepere omnia tonitru, inque numerum ictus audirier, 415
Omnisque mugire procul alta conuexa aetheris,
Incudibus gementibus, reboanti uerbere.
Dictoque citius, ut imbrifera nubes extollitur
Repente, montis instar, aequoreis e fluctibus,
Ilicet oritur ingens cacumine turris arduo 420
Ferrea, uelut opere facta ad unguem tota fusili.
Remque notat ipse litteratis omnem postibus,
Haec esset ut cunctis nepotum nota saeculis:
Vbi latet abdita uirginum Danae decus omnium,
Canibus ad ipsas excubantibus semper fores 425
Immanibus, semine satis ex illius, procax
Quem sensit olim adulter incestans Ditis torum.
Euellat hanc sibi nunc manus minis superbien;
Vix datur aditus ipsi, potest caetera qui Iuppiter.
Nunc gratulatum ibo, nihil posthac metuens, Deo. 430

	Ipsisque mercedem merentibus reddam fabris. Nam non pecunia Diis, ut hominibus, animos capit. Iamque ingredior adytum, fauete linguis, dum loquor.	
Ch.	Nefas strepere sacris, Nefas fremere. gradus Sistite. silete iam. Nostrum loquax nimis est Muliebre, ut aiunt, genus. Audite. Diis honor hic Debetur et Regibus, Qui proximi sunt Diis.	435
Acr.	O nate Iunonis toro puer casto Ex omnibus, quot Iuppiter Deos seuit Passim per orbem filios uagus spargens, Vt esset alti seminarium Coeli, Ac pullulans nouella glisceret proles Translata terris in serena conuexa. Iure unde maximi fores olympi haeres, Stamen Ioui si sectile Atropos neret.	440
	Tu primus ipsi incognitum patri fulmen, Volans, trisulca cuspide fremens, igneum, Excogitasse diceris, manus Coeli Est ausa cum regnum aggredi Gigantaea.	445
	Es assecutus unde nuptias natae, Longis fouet quae noctibus fatigatum. Te non Gradiui terruit furor saeui, Quin inuolutus mille nexibus coecis Adulter annum pendulus daret poenas.	450
	Tua mihi sed pace si licet fari, Molitus es nunquam ullum opus uel ingens uel Tutum uel affabre ac repente sic natum, Vt quae perennis est meae domus natae, Nullis caduca saeculis, manens usque.	455
	Quare tibi nunc plurimas ago grates Ac maximas, quin debiti reus uoti Centum immolo iuuenculis patres iunctos Totidemque temeti amphoras notae Cressae. Tu honore tantum pascere: haud enim fas est,	460
	Mutabile ut sit nectar his cruentatis Obsoniis ac pinguibus bene omentis. Sit uisceratio haec Cycloibus, seque Ingurgitent atque hauriant cados uini.	465
	Voca Cyclopas; aduenit fremitu turba strepens, Abiegna sylua tollitur uetus densaque uelut. Nil est uocatore hic opus. quot accurrrunt! dapes	470
	Explere quae tantos queunt? pauxillulum quoque	475

	Est Liberi. Methymna non una his satis foret Vinosa. comiter benigneque accipiam tamen. Facit ipse sermo ac uultus homini nonnunquam satis.	
Ch.	Nihil exhilarat animum Aeque, ac ubi Rex uidet Te laetus et satur, Quae uis, libens. aures Hic mulcet hominum magis Concentus ac lyra.	480
		485

*Reddit mercedem fabris ferrariis Acrisius. fitque ebrius Polyphemus epoto
uini solio. unde pugna inter eum exoritur et Cyclopas.*

Acrisius, Pyragmon, Steropes, Brontes, Polyphemus

Acr.	Fabri Iouis sociique Vulcani, inuictum genus Labore, de me plurimum meriti ac regno meo, Agite, capite uirtutibus tantis nunc praemia. Ac gratiam praeter, quam habebo semper maximam, Pecuniamque praeter immensam, uestrae parem Operae, hilares lautis simul mensis discumbite. Prius tamen talenta humi, famuli, diffundite. Vtraque largiter capite manu, quae debeo. Quid statis?	490
Pyr.	adsumus. perustus barbam ut Aethiops Indusque ego, uerso tenaciter dum forcipe Fornacibus massam chalybis ardentibus grauem.	495
Ster.	Quasi leue foret immanibus stridentes follibus Haurire uentos, per uices atque exprimere diu, Quantum Aeolia uix efflat ipsa olim concaua domus.	
Bron.	Apagete. malleis graibus incudes contudi Fractasque liqui uerberibus assiduis, maximis, Instarque iaculorum ora ac oculos feriebant mihi Stricturae anhelo. uiden, adhuc uulnera ut apparent?	500
Acr.	Quiescite, manete. fremere nihil opus. est, unde enim Vestris queam laboribus, quod est par, reddere, Diis gratia atque opum omnium Summano diuiti. Vestro tamen duci ante, ut est aequum, auro largius Impertiam. nihil flagitans tacet, uirum ut decet. Polypheme Cyclops, finibus iam inde Siculis rate Qui uestus huc Neptuni ope celeriter ades, cape.	505
	Percussa modo Abantis micant facie numismata. Bis mille tibi sunto. minus dimidio singuli Vos capite. adeste simul. Pyragmon en tibi sacculum.	510

	Tibi saccum alterum accipe Brontes numero parem. Steropes ubi est?	
Ster.	adsum.	
Acr.	alterum quoque tertium cape.	515
	Viritim Abantaeos dabo quingenos caeteris.	
Ster.	Cyclopion patercule, nihil opus posthac erit, Obambulans ut quaerites uictum precario Lustransque tuguriola minutatim asses congeras.	
Pol.	Ego, Rex, tuae benignitati debeo satis.	520
	Inustus at dudum siti fauces uix queo loqui.	
	Voluensque baiulansque ceruice atque humeris trabes	
	Miser aereas, exuctus humore omnis arui.	
Acr.	Solum ingere. exple. proluce spumanti te diu Baccho. sed olfacito prius.	
Pol.	pape. nectar supra.	525
Pyr.	Odisse non adhuc uel ipsum nomen Liberi Vt execrandum? es im<m>emor Ithaci, pater o Cyclops, Cum, qui unicus uidebat, oculo emisti prodigus Vrnam Maronaei. fuge edoctus rursus malum.	
Pol.	Auertere quibus quaerit artibus cupas meri! Sibi uult relinqu. absterret iccirco stultus catum.	530
	Quid ais fatue? quasi poeniteat, aut faciam hili, nihil	
	Videre! lumen quin reluceret si iam mihi,	
	Vt patre fertur olim Orion eodem, quo ego, satus,	
	Effossus utrunque oculum, iterum oculatus cernere,	535
	Impenderem nunc denuo. nollemeque abstemius	
	Fieri Argus. age, iam uina transfundam ex hoc dolio,	
	Licet pusillo, in alueum. quid hoc? uah nil dolet,	
	Viaeque longinquae piget, laboris et nihil.	
	Iam addico me, Rex, nunc tibi totum, operam quoque meam	540
	Iugem, perennem, compede impeditum ferrea	
	Noctes diesque defatiga hac me mercedula.	
	Quin cape, tuam tibi habe, libens reddo, pecuniam.	
	Diues satis etenim sum ego hac tantum re exhuberans.	
Acr.	Num pereo? pandit ut ora toruus. adest, adest prope!	545
Pol.	Audite sed uos animum et aduertite. nemo audeat	
	Parere non mihi, cicatrix etsi palpebram	
	Deformat ingens, coecus ac talpa cernam minus.	
	Heros ego Neptunius, Rex Coclitum, Cyclops	
	Edico: stillam nemo delibet liguriens	550
	Laticis mei. quin hinc facessite, et sicui sitis	
	Molesta, paret is sibi aliud. permitto hoc ac sino	
	Benignus. hic Regem decet tantum, genitum et Deo.	
	Contemnat at si quis, manus sentiet is iam diu	
	Suetas crux noxiorum spargi atque oblini.	555
	Quid hic fremitus? adasset Alcides mihi cadum	

	Abducere, hoc ego fagino contra clauam scypho Facerem alteram excetra magis metueret belluam. Cellis procul uinariis iners plebecula. Quis hic? bibe hoc prius. etiam tu hoc. teneo iam improbum. Obtortus ibis nunc gula poturus Stygis aquam. Pro foribus astabo, sinam nec Liberi sacram Aedem prophanus penetrat hanc quisquam. thyrso huc ades Armatus, o Bromie, Bromie. tuumque maximum Atque unicum adiuua sacerdotem contra ebrios.	560
	Irudo uini quo scelestia repis per pedes Illapsa medios? morere sitiens, oppressam obtero. Circum crepat lagena multa aures iacta undique, Frustra. nihil mouebor hinc. ipsis neci datis Iactisque consternam cateruatim reliqua agmina.	565
	Cunctisque deletis dabitur illico Danae mihi Lepidissima omnium, omnium longe ualidissimo Reliquis repudiatis procis, catamitis improbis. Ego Regius gener, ego iam sceptro ac diademe Insignis, ego iam diuini successor Regiae,	570
	Ego Acrisii opum legitimus haeres. quid pessimi Inuaditis aliena? io Arguii accurrite simul, Adeste Regi ac improbos bibaces in fugam Versos sequimini, caedite, trucidate, extinguite!	575
Bron.	Quid contumeliosius superbiloquentia Tanta? uel esse mihi quid intolerabilius potest? Quid tu Pyragmon? emori mauis miser simul Caedi additus tot immerentium? uel, ut decet Fortem bonumque, pellere iniuriam et ultor tuae Gentis scelus dirum ac nefandum tollere funditus?	580
Pyr.	Egon? aestuans acri dolore dudum cogito Teterrimam pestem modo excidere. diu, diu Pertulimus immanem Tyranni feritatem horridi. Age, Steropes Brontesque, circunsiliamus leues. Iam malleis oportet his tempus perrumpere	585
	Vtrunque, coeca frontis et refodere uulnera. Vt robur ictum undique securibus, nunc concidet. Iam iam sequimini. tu latus laeuum, tu dexterum, Aduersa pulsabo ipse tempore eodem ora grauiter. Monstrum peribit hominibus hodie inuisum omnibus,	590
	Vitaque nunc mercabitur Lyaei munera.	595
Pol.	Congredere iam minax, tonans uerbis tutus procul. Captum ore glutiam, uolabis uel sparsus diu Per nubila. fugax, bella quid geris? sequar, sequar. Habeo, teneo, peristi. abit pro discepta manu.	600
	Reliquit ori buceam. quin tandem comminus Committeris? lasciuia circuit uulpecula	

	Fugitans statariamque metuit pugnam callida. Tamen habuit. inane cape solium inflictum tempori. Tuque obliga uulnus. trahe, trahe humandum alium pede.	605
	Haha! ebrii unum sobrium tot pauitant, ut canes Leonis aggressus timent collatrantes procul.	
Pyr.	Facite impetum. circundate obsessum et contundite. Malas, agite, findite feras, toruas findite genas. Rictu excutite molas cruento exertas, horridas.	610
	Plagis sonent tempora nouis. caedite, sternite ferum, Inhospitalem, anthropophagum, hominum osorem ac deum, Trucem suorum uictimarium!	
Pol.	fer opem, pater	
	Neptune. pereo iam miser.	
Pyr.	Ditem potius uoca. Diti immolo nigrisque manibus atram belluam.	615
	Tandem ruens uasto ferit pectore moles humum. Rugit cruentus animam agens. cadauer linquite Pastum feris immanibus. uos sed discumbite Vestram illiusque portionem potantes meri, Ac naeniam mecum canite laeti Cyclopeam.	
		620

Pyragmon, uelut praefica, Polyphemum humi afflictum atque interemptum iocose alloquitur.

Pyragmon, Turba Cyclopum

Pyr.	Age, surge Cyclops, Positus quid humi, Longus ut es, iaces? Fumant positis lancibus exta, Patulis nec dum naribus afflant.	625
T.C.	Aurita sonant pelues nec dum Crepitantes tua tempora circum. Mecum rursus conclamate:	
T.C.	Age, surge Cyclops, Positus quid humi, Longus ut es, iaces?	630
Pyr.	Nunquid longo fessus ludo Reficis somno te sopitum? Somno infelix, heu, laetali Torpent, uideo, membra sepulta.	
T.C.	Altius iterum conclamemus: Age, surge Cyclops, Positus quid humi, Longus ut es, iaces?	635

Pyr.	Ergo posthac laetas nunquam Pastor ages ad saxa capellas Dumosa uagus, nec resonabit Per opacas caua fistula ualles, Nullis unquam garrula saeclis.	640
T.C.	Age, surge Cyclops, Positus quid humi, Longus ut es, iaces?	645
Pyr.	Spargite dulci membra Lyaeo. Glaucus ut olim gramine tactus, Reduiuuus erit sparsus Iaccho. Metuo tamen, heu, metuo, ne mox Epulas omnes sorbeat et nos.	650
T.C.	Age, surge Cyclops, Positus quid humi, Longus ut es, iaces?	655
Pyr.	Frigidus orat transmissurus Horrida Cyclops stagna phaselos, Frustra. molem non capit alueus. Superis ergo pulsus et Orco Non admissus, nullibi eris miser!	660
T.C.	Age, surge Cyclops, Positus quid humi, Longus ut es, iaces?	

*Exanimatus pauore cum se e turba Cyclopum iam inter se ipsos saeuientium
confestim surripuisset Acrisius, secum loquitur.*

Acrisius solus

Acr.	Viuo ambulans? an, ut ferunt manes suis Exire luridos sepulchris, mortuus Erro? ubi miser sum? obiine? uiuo ego iam, sed, heu, Comitum cohors ubi? periit omnis reor. Hoccine hominum tellurem alere? pro Iuppiter. Tumultuantibus meri propter cados Ac se intuentibus oculo minaciter	665
	Toruo Cyclopum ducibus, excessi ocios Vix integer, uix compos animi, territus. Nunquam cor aeque inhorruit. sanguis super Intra coactus uiscera obriguit gelu. Nec adhuc metus parcit quatere praecordia. Quid, heu, si Iaccho feruidi, Lapithae uelut,	670
	Aggressi ahenam nunc domum, miseram patri	675

Abducent? non unus Argos Dis tenet
 Raptor puellarum. metuere tunc sinam
 Demum, cita rate cum reuectos audiam
 Aetnam reuenisse usque uel mari obrutos
 Periisse, squammigeris pecudibus pabulum
 Mergisque edacibus pelagioulantibus.

680

Ostendit Chorus nonnunquam in eos potissimum Fortunam saeuire, quibus maxime fuerit benigna.

Chorus

- Ch. Vt nihil laetum diu,
 Dii fidem uestram, manet! 685
 Quin beat quem Sors magis,
 Quem parem Superis uehit,
 Hunc repente, turbinis
 More furentis, turbida
 Saepe correptum opprimit.
 Quem pupugit nunquam, ueniens
 Scindit hunc grauius dolor,
 Indomitus uelut equuleus,
 Cum foditur stimulis nouis
 Insolens ferociter, 695
 Tollitur exultim solo.
 Vedit Acrisio hoc nihil
 Laetius unquam Sol, terens
 Volucribus coelum rotis.
 Vnde hominum tuens, refert 700
 Cuncta Ioui. isque Aegide notat,
 Quicquid agunt, fantur, putant,
 Oblinens atro uitium
 Rectum ac albo insigniens.
 Nunc quot, heu, premitur malis. 705
 Imminens fatum hinc sibi,
 Hostium hinc metuit minas
 Coelibemque flet unicam
 Natam ac orbatam domum.
 Quin et, unde poposcit opem, 710
 Nunc Cyclopas horridos
 Effugit exanimis metu.

Actus quartus

Attonita secum loquitur Danae, cum e Turri, quo in pluuiam auream mutatus penetrauerat, Iuppiter euolasset. mox omnia Nutrici enarrat.

Danae, Nutrix

- Dan. Quo fugit, heu, quo fugit?
Elapsa manibus ut aus,
Abiit uolans. ubi quaeram? 715
Nusquam, heu, uidetur, nusquam!
Vigilans loquor? an illudit
Imago somniantem?
Age, excito iam me atque
Somnum excutio. iam cerno,
Tango, ambulo, audio me 720
Iam nunc loquentem. an fallor?
Nutrix, age, mea Nutrix,
Perii.
- Nut. quid est?
Dan. quae uidi.
Nut. Quid mea stupes?
Dan. heu.
Nut. fare. 725
Dan. Iam iam occidi.
Nut. miseram me!
Quiesce, alumna dulcis,
Quiesce. tingit quantus
Te pallor. eloqueredum,
Quid passa?
- Dan. Iuppiter.
Nut. te, 730
Mea, sospitet. quid trepidas
Exterrita? quid horridula
Riget coma? quid hoc? eheu!
Dan. Hic ipse, Iuppiter ipse.
Deliquit animus. o quae 735
Spectare contigit! uix,
Dum cogito, mihi uix
Credo. preces piae a Diis
Quid non queunt?

Nut.	exanimat	
	Pauidam mora. age, dic tandem.	740
Dan.	Iam cellulam, impedit pauor me proloqui, Dicam attamen, pedem intulisse cum modo Supplexque prospectans plagam extremi aetheris, Sol unde currus excitat, linquens mare, Sacrisque precibus, quas mihi Nutrix, beans	745
	Me sponte tanto munere, dedisti, Iouem Superum omnium longe supremum deuocans Coelo, rogarem, opem mihi ferret Deus, Noua feram, inaudita, fidem et exuperantia, Pelago rosea nubes procul se sustulit,	750
	Qua nulla hilarius pingit aera coerulum, Pluuiosa non ipsa decus Iris nubium, Aurora mater lucis aut ipsa igneae. Ac uisa mihi magis magisque accedere,	755
	Appulsa uentis leuibus, ausis ut aduolat. Mirata spectabam nec id sine numine Rebar, pependit ilicet prope culmina Aeria turris aereae cum immobilis.	
	Rapuit stupor tunc animum. et ecce ros sacra Iam nube primum decidens sensim leuis,	760
	Tenui uelut cydonium lanugine Pubescit, aut olus pruinis albicat, Sparsit fenestra infusus aura coerulam Pallam colore luteo, mica ut nitet.	
Nut.	Quid hoc? fidem Dii uestram opemque! age, loquere.	765
Dan.	Crebrescit Imber diffluens mox Aureus, Illapsus undique penetransque, qua domus Iunctura, qua diem inferunt spiracula. Mentis mihi quid fuerit ibi tum, cogita,	
	Concreta cum pars, grando ut aurea, crepitans Circumque resiliens peteret ultiro sinum.	770
	Obrigui ac ipso auro magis tunc pallui. Sed ubi animum tandem recepi perditum, Munus rata deum, subdidi explicans sinus.	
	Aurumque colludens, micansque sedula, Flauis sonansque riuulis fluentibus Ignara sponte condidi in gremium mihi	775
	Legens, ubique quod iacebat, protinus.	
Nut.	Sum nulla, inaudita audiens. sed quid super?	
Dan.	Sunt leuia, Nutrix, quae locuta sum, pae iis, Quae dicam.	780
Nut.	an est quod maius?	
Dan.	ausculta, audies.	
	Coelestibus nam dum, memor adhuc me pauor	

	Terrificat, opibus gaudeo, tremulum, leue, Fuluum intuens aurum, exilit subito euolans Id omne, crederet quis hoc? pereunt opes, Versusque iuuenis asttit. nisi is Deus Vetusset, animula attonita abiisset metu. Fuique uocem audire tunc uisa illico: ‘Danae, Danae, animo timores discute. Adsum ego uocatus ipse Coelo Iuppiter, Qui templa olympi perstrepo caua fulmine. Miseratus huc aduenio tibi opitularier.’	785
Nut.	Num somnians haec ait? an audio somnians?	
Dan.	Sic fatus admoto fouens trepidam sinu, Vtraque mulsit os manu animum ac reddidit.	795
	Rursusque cepit sic loqui: ‘Mortalium Indigna uirgo nuptiis, nubes Ioui. Gestisque puer ex te editus Solis domum Vtranque lustrabit stupendis aliger, Armatus atque manibus immortalium, Saeuaque caesa Gorgone, hostium agmina, Astricta glacie ut flumina, tenebit metu.	
	Est maximus, qui sustinet coelum, senex, Demit ubi Sol equis iugum leuipedibus, Vnde Hesperus dux siderum exilit uadis.	800
	Claudens hic hospitio domum nato Louis, Monstri rigebit ore uiso territus. Eritque terris se erigentem ad sidera Vastam hominis effigiem uidere saxeam.	
	Auum quoque, sed incautus, interimet suum.’	810
	Hic saucius dolore torpuit animus, Carique respersit oculos funus patris.	
	Solatus inquit: ‘Profer hinc, Danae, caput Mecumque suspice.’ ac locum ostendens ait: ‘Stellatus illic usque fulgebit puer	815
	Labore functus. te quoque manent aspera. Eiecta nanque fluctibus patria procul, Regis famula, dein uxor urbis arduae Longinqua pones moenia, futurum est ubi Regnum diu populisque multiloquis caput.’	
	Haec elocutus, iterum adhaesit applicans Se collo, apis ut arguta considit thymo Tenuique nectar murmure exhaustit legens. Mox auolans oculis, reliquit spiculum	820
	Desiderii amorisque, Nutrix. iam nihil Dolet coerceri. quid ego uocis sonos, Quid motum et oris decus adoriar eloqui?’	825

Nut.	Lux unde modo sacra fulguraret, territa Mirabar, unde tantus hic odor nouus Late per omnem dulce spiraret domum. Sed quid? quid hoc, alumna? residet adhuc nitor Sparsus mitella, scobs ut aurea?	830
Dan.	exime, Sensim exime. uide, sed uide, Nutrix, tamen, Roris, nefas, ne decidat aliquid sacri.	
Nut.	Eburneam rape pyxidem aut ex arculis Aliquam, sed exterge. bene est. serua. uides, Auro praeit quantum hoc, stupet quo hominum genus? Ornaberis diademate, id equidem augur. Abiens reliquit capite regium decus.	835
Dan.	Quotidie eadem prece rogabo saepius.	840
Nut.	Ita faciendum censeo.	
Dan.	at quoties putas Fas esse?	
Nut.	ter. mane semel. iterum cum dies Medium rotis coelum terit feruentibus; Dein ubi aderit nox, tertio. tunc maxime Furtim reuisere Superi terras amant.	845
Dan.	Noctis mihi tempus quoque gratissimum. Duo sed relinquam reliqua non ego tempora. Quid saepius si deuocarem?	
Nut.	haud fas foret. Coelestibus etenim est numerus hic amabilis.	
Dan.	Animus tamen praesagit ingens nunc malum.	850
Nut.	Expectora metum penitus omnem tibi.	
Dan.	Praesens, scio, iam poena, Nutrix, me manet.	
Nut.	Expue nefas, alumna, melius ominans.	
Dan.	Plaudens cor intimum latus cladem monet.	
Nut.	In te quis unquam quippiam Ioue praeside?	855
Dan.	Quin ipse nuncians metum iniecit Deus.	
Nut.	Aderit tibi nec uspiam linquet suam.	
Dan.	Patria carendum semper, heu, Nutrix, mihi.	
Nut.	Vna est parens terra omnibus, ubi ubi fueris.	
Dan.	Domoque comitibusque uidua aequalibus.	860
Nut.	Saepe est, ut exteri magis ament te tuis.	
Dan.	Famularier seruam, heu, genus me regium?	
Nut.	Iam iam futura domina, nequicquam doles.	
Dan.	Age, oscula, negata mihi post, da, dum licet.	
Nut.	Tene ego sinam sine me ire, quo fatum iubet?	865
Dan.	Tuaeque memor alumnae ut usque sis, precor.	
Nut.	Nisi ipsa fuero comes, mori quid nunc moror? Sed cur metuis, extrema fortunauerit Tibi si Deus? quin etiam eum atque etiam roga.	

Dan. Secedam. in uno omnis mihi spes est Ioue. 870

Canit Chorus, quantus sit Amoris furor, eiusque breuiter pingit formam et ornatum. postremo eum rogat, mitis sit erga genus humanum.

Chorus

Ch. Quis te, Cupido,
Non paueat, ipsum
Facula liquefacis si Iouem
Imbremque soluis in Aureum?
Quam, ceu pusilla per nemus 875
Nocturna scintillat uolans
Lita uolucris caudam igneo
Fulgore, lasciuus iacis
Passim per orbem dissipans.
Heu, quanta surgunt 880
Incendia e paruo
Ignis latentis semine!
Nec est, cui semel haeserit,
Vt excutiat ardorem.
Sed, sicut oestro percitus, 885
Errat furens.
Nemo tamen non appetens
Vltro uritur,
Es dulcis adeo puer!
Nam sponte quis non aduolet 890
Amore saeuo saucius,
Quocunque ducis persequens,
Si te semel conspexerit,
Os purpura uelut illitum
Auroque fulgentem comas, 895
Ac uice oculorum sidera
Refixa coelo atque insita
Sub fronte, natus es ubi puer
Alis decorus?
Tunc leui, 900
Sed nunquam inani cum pharetra,
Ardent ubi tot spicula,
Niueis rubent
Plumae quot humeris tibi leues,
Oras per orbis ultimas
Sparsisti amores seminans, 905
Vnde omnia edita germinant.

- Quare sator rerum es puer,
 Hominum parens ac numinum,
 In coelo, in undis, in solo
 Terrarum, amabilis 910
 Idemque formidabilis,
 Lenis modo, modo asper, fluens
 Lepore, moerore fluens,
 Vt suggerit apis cum fauos,
 Eademque figit uulnera. 915
- Tibi nec satis regum domos
 Reuisere potentium,
 Quin pauperum sub culmina
 Furtim uolas. 920
- Gregis unde curas abiicit
 Flamma calescens rusticus
 Syluisque sub frondosis
 Solatur ignes cantibus.
 Quid loquar, ut eloqueris 925
 Dulcis per aures omnium?
 Te intelligit gens barbara,
 Te belluae uolucresque uagae.
 Quae, simul adest uer floridum
 Tuosque redditus sentiunt, 930
- Praegestientes
 Nitidum per aera tinniunt.
 Sis o placidus, et amoue
 Diros furores,
 Suspendia, cruentas neces 935
 Lapsusque praecipites. satis
 Sint tibi querelae
 Fletusque et irae gaudiis
 Permistae amantium.
- Sed cur in aurum liquitur
 Nunc Iuppiter? an auro, ut fides,
 Vt iura, uincitur
 Quoque pudor? utinam
 Hoc, mater, unum,
 Tellus, in auras 945
 Nunquam extulisses malum.

Actus quintus

*Exponit flebili uoce Nuncius, quibus fuerit modis extracta Danae ab Acrisio
e Turri et in arcum ligneam coniecta marique ac uentis commissa.*

Nuncius, Chorus

- Nun. Mecum quis, eheu,
Collachrymet? humor
Haustus sed omnis
Reliquit arentes genas. 950
Dolor tamen animo grauis
Infixus haeret.
- Ch. Quid, heu, mali? quid hoc?
- Nun. Vidisse tantum,
Tantum nefas? Scytha nihil unquam 955
Iratus hostis tale.
- Ch. Misere ut dolet. rogabo.
- Nun. Eheu.
- Ch. quid? oro te. quid hoc? age, fare.
- Nun. Immane, barbarum.
Pater hoc, pater? 960
O virgo!
- Ch. facinus quod tam atrox?
- Nun. Quin execrandum nefas
Reiecit unda respuens?
Sol ipse quin auersus
Refugit, 965
Vnde oritur occidens?
- Ch. Exordiens, age, loquere.
- Nun. loquar ego, loquar
Infanda. saeui carceris custos uelut,
Rex ipse lustrans parietes aeneae domus,
Cautus dolos ut hostium obsessus timet,
Aut pastor irrepentis insidias ferae, 970
Cum obstruit ouilis septa uafer obambulans,
Visus fuit uidere suspiciens procul
Caput uiri Danaesque prolatum simul
Celsa e fenestra, quam plagae commununt
Ferreae. pauor oculos puto fefellit senis. 975
Ch. Vt saepe multi somniant id, quod timent!

Nun.	Frendit furens, spumas agit ac ore horridus, Ardetque, uelut ignis, senilis pupula. Ait haec rabie anhelans ferus uoce insuper: ‘Fossis cuniculisque subterraneus, At at, habet arcem uix positam adulter. sequar, Sequar ego refugientem sub umbras Tartari.’	980
	Dixit diuque circuit, an ullum foret Extra cauum, ualloque militum obsidet Late loca, effugium esset ut nullum improbo. Mox, ipse quam ferebat usque, ut ianitor, Clavi reserat adamantina paruas fores. Ingressus, ut canis acer, indagat specum, Obliuiosior nihil reputans senex	985
	Ex aere solidasse sola solido Mulcibrem. Nusquam ubi uidet quicquam, daret quo se furor, Natam aggreditur ipsam pater trepidam ferus. Eheu, pater natam?	990
Ch.		
Nun.	necet ut atrox.	
Ch.	necet?	
	Se parricidio ut parens natae inquiet? Danaen genitor? heu, miseram.	995
Nun.	acutos ter suaे	
	Admouit enses filiae iugulo impius, Ter destitit, cruenta atrocious nece Iam moliens animo scelus.	
Ch.	quod maius? heu!	
Nun.	Saeuum, nefandum.	
Ch.	dic, age!	
Nun.	abreptam nouis	1000
	Danaen modis, nunquam meminit animus feri, Nunquam misellae, quin cor absumat dolor, Protraxit ad uada pelagi.	
Ch.	genitam parens?	
Nun.	Arcamque iussit pineam ilicet ingredi.	
Ch.	Quorsum? quid, heu, trux imperans? quid cogitans?	1005
Nun.	Manabat ore uirginis fletus miser, Formata ut effigies niuea hominis fluit Radiis liquescens Solis icta flammeis.	
	Toruumque supplex tabidula patrem intuens, ‘Mene,’ inquit, ‘undis, mene miseram extinguier?	
	Ah, te, perit mecum nisi Pietas, rogo, Caesam tegat humus, sine, sine, moriens ego Hoc grata munus auferam extremum patris.	
	Heu, me furenter aspicit: igitur mari Iactata scopulos inter infelix diu	
	Natabis esca piscibus, Danae, feris,	1015

	Fluitans uago dispersa membratim salo, Dudum beata.’ Haud passus ulterius queri Natam ipse ter Iouis uocantem numina, Breui alueo impactam pede in uada propulit.	1020
Ch.	Crudele, inauditum, nefarium scelus!	
Nun.	Et ecce sine nube intonuit, atque aequoris Tranquillat undas uentus aspirans leuis Clausamque littore abstulit in altum ferens.	
Ch.	Io misella, io puella regia, Sortita qualem lucis exitum occidis!	1025
Nun.	Ac uelut aquosa nube cum Sol abditur, Coelumque mugit triste manans imbris, Sic nulla prospicitur ubi. lachrymabilis Exoritur undique fremitus. Danaen nemus Circum resultat consitum, Danaen cauae Rupes, pelagus omne Danaen, Danaen refert.	1030
	Quin ipse tandem uictus euellit comam Barbamque obortis humidam lachrymis senex.	
	Seseque rapuit ac domum Cyclopeam	1035
	Ingressus ipse, exhorret hostiles minas Ciuesque natae uindices metuit suos. Vtinam graues, utinam pares sceleri luat Poenas nefandus. quae tamen sceleri pares?	
Ch.	Infanda refers.	
Nun.	heu, tamen acta.	1040
Ch.	Saeusne senex magis? infelix An virgo?	
Nun.	nihil saeuius hoc est Nihil atque infelicius illa.	
Ch.	Patris infelix filia saeui, Quo te miseram nunc maris aestus,	1045
	Adigunt, quo te flamina uenti? Vagus o utinam nauita rediens Obuius esset. phocas uel qui Procul hinc captat, te nodosis Appulsam maculis deferret	
	Regemque bearet Insperata coniuge laetum, Specula uelut aeria praeceps Incidit ipsis retibus olim Britomartis, amantem Minoa	1050
	Dum fugit examinata sequentem. Ite per altum, ueligeras citi Solute puppes, scandite, pellite, Verrite latis aequora tonsis.	
	Quaerite circum, sicubi forte	1055
		1060

- Eiecta uagis fluctibus errat
 Sub opacis, heu, sola cauernis
 Aut immobilis inflictu uadis
 Haeret breuibus, mortua nec dum
 Ante diem tumulatur arena. 1065
 Quod si te mouet, Amphitrite,
 Sors immeritae saeuia puellae,
 Tangit si te regia proles,
 Formosaque coetu comitari
 Gaudes formoso, uenit en tuis
 Virgo digna choreis. 1070
 Non hac, nuper numina ponti
 Inter quae colitur, Cadmeis
 Nitet ore magis, candida quamuis
 Inter uirides luceat undas,
 Micat ut coelo luna sereno. 1075
 I Dea curru delata leui
 Per mare labens miseramque leua.
 Tamen, utcunque est, seu crudeli
 Fato occidis, es seu coelesti 1080
 Ope in aeternum seruata decus,
 Nobis luctus nobisque dolor,
 Lachrymae nobis et querimoniae
 Vsque relictæ funestabunt
 Orbatam, te propter, uitam
 Omne per aeum. 1085
 Nun. Ite atque alios sumite cultus
 Passisque comis iterate nouos
 Questus; adductis liuescant
 Pectora palmis. 1090
 Nunquam, posita ex quo sunt tantæ
 Vrbis moenia, tantus moeror
 Consternatam percult urbem.
 Ch. Iouis, o Melpomene, decus,
 Roseo uincta cothurno,
 Lyra cordi cui lugubris,
 Delatum hoc tibi munus
 Faxis perpetuum, rogo. 1095

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt der Erstdruck von 1529. Die Ausgaben von 1530, 1545, 1762 wurden verglichen.
Der hier abgedruckte Text entspricht dem der Ausgabe von 2000. Zu Abweichungen von den
ursprünglichen Drucken siehe dort S.140ff.